

**DIE DECIMA TERTIA IUNII.
DE SANCTO ANTONIO, ORDINIS
MINORUM S. FRANCISCI. PATAVII IN
DITIONE VENETA
VITA**

CAPUT I.

**Initia apud Canonicos Regulares, transitus ad
Fratres Minores, vita eremitica in Romandiola.**

[1] In Hispaniis, civitate Ulysbona, quæ ad Occidentalem Regni Portugalliæ plagam, in extremis terræ finibus sita est; [Ulysippone natus Sanctus,] quædam prægrandis ecclesia, in honore Virginis gloriosæ Genetricis Dei Mariæ a fabricata consistit, in qua pretiosum B. Vincentii Martyris corpus honorifice requiescit, a cujus Occidentalium valvarum liminibus, venerabiles B. Antonii parentes non longe manentes, felicem hunc in primo juventutis flore filium genuerunt; nomenque ei Fernandus in sacro baptismatis lavacro imponentes, in eadem etiam postmodum ecclesia educandum puerum tradunt, [acta modeste pueritia,] [moribus] & litteris imbuendum. Qui, dum, post annos pueriles simpliciter domi translatus, [quidquid] fallax mundi species, ac petulantia carnis placentia sibi suggererent, nequaquam iis concupiscentiæ fræna laxavit; sed jam soli Deo servire disponens, evidentius id processu temporis opere declaravit.

[2] Spretis namque mundi & carnis illecebris, ad quoddam cænobium S. Augustini, præfatæ civitati vicinum, [sit Canonicus Regularis,] se contulit; ibique devotus habitum Religionis assumpsit. Ubi dum pacem pectoris ejus importuna carorum amicorum frequentia pertubaret;

peractis ibidem ferme duobus annis, ad sanctæ Crucis de Conimbria, aliud scilicet ejusdem Ordinis monasterium transvolavit; ad quod tamen, ob morum ipsius gravitatem, vix licentiam sui Superioris obtinuit. Quo, [majoris quietis causa transit ad S. Crucem Conimbrica:] ad optatam mentis quietudinem obtinendam, perveniens, tantum ibi in omni religionis perfectione profecit translatio sui facta, quod levitati cordis imputari non potuit. Propellebat autem eum jam Spiritus, quodam futurorum præsigio, ad divinarum studia litterarum; in quibus jugiter meditando, non solum qualiter in agro alieno vitia extirpando, virtutes insereret, [ubi multum proventus in studiis,] semetipsum primitus sollicite excolendo, cognovit; verum etiam qualiter fidei normam astrueret, ac confutaret errores, firmissimis Patrum sententiis se munivit. Sicque factum est, illo aspirante, qui intervallo temporis in docendo non indiget, ut non multo post vir Dei sapientiæ spiritu plenus esset.

[3] [Franciscanorum in Africa martyrio excitatur] Funditur interea apud Marochium sanguis innocentium a profanis; dum ibidem contra Christum odiose desæviens in Fratrum Minorum necem gladium exeruit Rex immanis: ubi plurimis claruit prodigiorum indiciis: quoniam is qui de cælo descendit, pro quo passi sunt, morientium merces factus est vitæ panis. Quorum venerandas Reliquias vir quidam famosus, nomine Petrus Infans, Marochio deferens; per ipsorum merita sui ipsius a gravibus periculis liberationem, [ad imitationem,] celebremque eorum passionis ordinem divulgavit. Tum & auribus Fernandi non inaniter facti rumor insonuit: nam subito elephantis more, ad prælium ex aspectu sanguinis, animati, totus ad fidei fervorem surripitur; Christique injuriam & Martyrum necem miranda in se compassione retorquens, nihil se prorsus imputat agere, nisi & ipse tyrannicæ ferocitati occurrens, eamdem pro christo cum præfatis Martyribus palmam obtineat. Felix iste, quem

formidine mortis gladius persecutoris non enervat, sed in melius, ut patebit, perfectæ caritatis ardor immutat; igitur æstuanti animo quid facto opus sit, excogitans; habitum Ordinis taliter pro Christo defunctorum assumere, vitamque sequi deliberat; ut vel sic efficacius ad optatum fidei agonem pertingere valeat.

[4] Cumque Fratres jam dicti Ordinis, prope civitatem Conimbriam commorantes, [ideoque ad eorum Ordinem transit,] ad ipsum ex more monasterium die quadam, pro eleemosyna petenda, diverterent; videns eos Domini Servus, nequaquam ultra se continere potuit; sed benigne in partem deductis omnem animi sui conceptum aperuit. Gaudet non modicum ad hoc Fratrum prima simplicitas; diemque, quo hoc ipsorum gaudium impleatur, instituunt; & sic læti, Domino gratias agentes, abscedunt. Ipse vero, Prælati sui licentia, etsi difficulter, obtenta, gaudens ad condictum se præparat: sed & Fratres juxta promissum hilariter redeunt, [suscepto habitu,] eique in ipso monasterio suæ habitum Religionis imponunt. Qui dum, post habitus mutationem, mox cum Fratribus inde recessit; quidam ex Canonicis, super hoc se gravius dolere præ ceteris indicans, abeunti sic in amaritudine cordis dixit: Vade, inquit, vade, quia forsitan Sanctus eris. Cui humiliter sic respondit: Cum Sanctum audieris, Deum utique collaudabis. Venit ergo ubi simplicium Fratrum congregatio morabatur, qui videlicet locus S. Antonius dicebatur; juxta quod nomen, Antonium se deinceps appellari rogabat: ut & sic requirentium ipsum sollicitudinem pia cautela deluderet, eorumque importunitates sub ignoto facilius nomine declinaret.

[5] Fervens igitur, ut dictum est, ad martyrium, dum adversus Christum Rex terræ descæviit, nullatenus ab hoc proposito requiescere potuit; [sed inde in Mauritaniam navigare volens,] donec tandem, juxta permissam sibi licentiam, ad terram Saracenorum transivit. Verum

quantocumque ad hæc, quæ dicta sunt, conamine niteretur; suum tamen in iis desiderium non implevit; de quo Rex regnantium Dominus aliud a sensu humano decrevit. Nam gravi nimis & diutino languore correptus, nihil secum pro voto prosperum agi perspexit; [morbo impeditur appellitque in Siciliam:] donec ipsa necessitate compulsus, ad partes fidelium remeare disposuit. Cumque navigando ad redeundum in Hispaniam iter arriperet, contigit ut in partes Siciliæ in ventis non secundis flantibus applicaret, & sic penitus a proposito se fraudatum conspiceret. Instabat autem eo tempore Fratrum generale Capitulum, quod in brevi celebrandum erat apud Assisium. [& inde Assisium,] Quod ut Antonio per Fratres innotuit, illuc (ut erat debilis & infirmus) utcumque pervenit. Soluta igitur ex more Capitulo, Fratribusque ad sua circumquaque loca dimissis; solus Antonius a nullo petebatur; quia, sicut erat ignotus, ita & inutilis videbatur. Nulla ergo de se vel litteraturæ, vel cujuscumque alterius utilitatis habita mentione, [atque in Romaniolam,] ad Fratrem Gratianum, qui tunc Fratribus Romaniolæ præerat, devotus accessit; rogans humiliter, ut ipsum a Ministro generali petitem colligeret, collectumque disciplinis regularibus erudiret.

[6] Quem idem Frater Gratianus benigne susceptum, in Romaniolam secum duxit: locumque solitudinis requirentem, ad eremum Montis sancti-Pauli transmisit. Quo postquam pervenit, quamdam ibi præoptatam cellam in crypta, [ubi in eremo rigidissime vivit,] semotam a Fratribus, orationibusque congruam reperit, quam suis usibus a Fratre quodam, qui sibi ipsi eam paraverat, impetravit. Illic solitariam, quantum licuit, vitam duxit; illic sacris meditationibus contra tentationes spiritum roborans, in divino se amore firmavit: ibi nocturnis vigiliis solus in oratione perstitit; ibi se totum dispositioni divinæ commendans, sursum firmissimæ spei anchoram contutavit: ibi etiam cibo panis & aquæ tanta corpus

abstinentia maceravit, ut, testibus iis qui aderant, hora collationis aliquando rediturus ad Fratres, nutante præ nimia debilitate vestigio, semetipsum supportare non posset. Sic igitur vir Dei Antonius, [& humiliter latet.] cum dono sapientiæ plenus esset, multo tempore simplicem inter simplices vitam duxit; sic arrogantia fastum humili corde declinans, sub indocti specie tantum divinæ gratiæ lumen abscondit. Licet enim, ut ex præmissis patet, ferventissimum domus domini zelum haberet, tamen a suo desiderio jam semel divino nutu fraudatus, a semetipso iterum terrenæ sibi gloriæ pondus assumere non præsumpsit; donec, eo, cui se jam commendaverat, disponente, manifesto post indicio, ejus in conventu simplicium fama crevit.

CAPUT II.

Ordinatio S. Antonii, & fervens ac fructuosa prædicatio.

[7] [Forolivium missus ad Ordines capiendos Antonius,] Post multum namque temporis Fratres, pro suscipiendis Ordinibus missi ad civitatem Forolivii, confluerunt; inter quos & Antonius, nec non & quidam Fratres de Prædicatoribus adfuerunt. Cumque collationis hora Minister loci Prædicatores ipsos sollicitaret, ut exhortationis verbum Fratribus adunatis aliquis eorum proponeret; nutu Dei factum est, ut omnes loqui renuerent, & se omnino ad hoc imparatos assererent. Tunc demum ad Antonium idem Minister, instigante se fortiter Spiritu, conversus est: eumque, de cujus scientia nihil sibi constabat, in hoc opus appellat; ut videlicet proponat in medium Fratribus quidquid illi Spiritus suggerat. Ad quod se minus idoneum humiliter servus Dei respondit: quippe qui exercitior habebatur in abluendis coquinæ utensilibus, ceterisque hujusmodi vilitatis officiis, quam in exponendis divinatorum eloquiorum mysteriis. Sed

quid morer multis? Plane, [& prædicare coactus,] cum tantam desuper gratiam accepisset, ut memoria pro codicibus uteretur; nullum tamen aliud in eo scientiæ perpendebatur indicium, nisi quod pauca perraro litteraliter loquebatur. Denique, quamvis quanta poterat virtute recusaret; contraire tamen imperanti non valuit: & licet invitus, ad extremum consentiens, in timore Domini, primo simpliciter fari cœpit.

[8] [stupendum sui specimen præbet:] Sed cujus lucernam, dudum sub modio positam, Dominus super candelabrum statuere nunc voluit; tanta in progressu sermonis verborum luculentia, tantaque eum mysticarum sententiarum profunditate suspendit; ut nimirum ex inopinato rei eventu vehementer omnes qui aderant mirarentur, & vix unquam audisse se talia faterentur. Non modica igitur Fratres consolatione impleti, venerabantur deinceps in Dei viro velatam divinitus supernæ sapientiæ claritatem, venerabantur nihilominus humilitatis jam probatæ virtutem. Non multo post ad aures Generalis Ministri res gesta pervenit: qui mox in publicum prodire compellens Antonium, officium sibi prædicationis injunxit. Et quidem digne verbi ministerio traditur; [quare Prædicator ordinatus a Generali,] quippe qui divina sapientia pollens, pauperum in collegio primitus pauper spiritu probatus, hunc sibi honorem impudenter non arripuit, antequam a Deo vocatus. At vero ne facta divinitus hæc vocatio dubitetur, ex ipsius hoc incolatu pariter & morte probatur. Constitutus enim in hac peregrinationis miseria, & vita floruit, & doctrina: quarum, priorem id est vitam, voluntaria vilitas, simplex innocentia, curaque disciplinæ commendant; alteram vero, quæ est doctrina, zelo juncta caritas, veritas, modestia comprobant.

[9] [munere eo fungitur,] Sed hæc omnia quam excellenter claruerint, quoniam per singula breviter

explicare non possum; tangam saltem succincte, quomodo cunctis æqualiter annuntiaverit veritatem. Hæc siquidem virtus in ipso claruit in oculis omnium, quæ quidem miraculis potior, quibus plurimi in vita fallaciter decipiuntur. Sic itaque Sanctus, in doctrinæ poculis mirabiliter affluens, tanta justitiæ libra singulis sua reddebat, quod sive magnis loquebatur sive parvulis, æque cunctos veritatis jaculo feriebat. Nempe qui jam calicem antea passionis tam avido corde sitierat, nullius magnitudini nec metu mortis pro veritate cedebat; [mirabili cum fervore,] sed miranda strenuitate, etiam magnatorum tyrannidi resistebat. Tanta namque quasdam reprehensibiles grandesque personas severitate corripuit, ut alii plerumque famosi prædicatores hoc audientes, ipsi ad intrepidam viri constantiam trepidarent; & quodam pusillaminitatis rubore perfusi, longe abesse potius, quam adesse volentes, confusas manu vel veste frontes obducerent. Erat tamen sermo ipsius, pro diversis opportunitatibus, [libertate, & gratia,] semper in gratia sale conditus: erat, inquam, graciosus pariter & severus, ut audientibus amorem simul ingereret ac timorem. Sic igitur hujus peregrinationis incolatus, doctrina & vita præclarus, divinam in Sancto vocationem evidentissime probat; quam, ut in fine patebit, multiplex post mortem miraculorum claritas necessaria conclusione confirmat.

[10] [longe lateque circumeundo.] Antonius itaque, prædicandi auctoritate suscepta, officium sibi injunctum non segniter exequi studuit: sed quietem eremi, qua sibimet hactenus invigilaverat, jam tunc in laborem insolitum pro fraterna ædificatione convertit. Nam longe lateque per civitates & castella circuiens. verbum vitæ ferventissime prædicavit; cælitusque instructus in omnibus, pro diversitate audientium, singulis congruentia sibi proposuit. Mirabantur in eo litterati tantam ingenii subtilitatem, tamque luculentam disertitudinem linguæ,

quam in omnibus audiebant miro discretionis pondere verba librantem. Quam profunda vero de sacris eloquiis eructaret, [Arca testamenti a Pontifice dictus.] summus ipse Romanæ Sedis Pontifex testabatur, a quo vir sanctus Arca testamenti, peculiari quodam nomine, vocabatur. Non solum enim, quæ ad morum informationem pertinent, placido sermone disseruit; verum etiam congruentissimis rationibus perversa hæreticorum dogmata confutavit. Nam & apud Ariminum quamplures hæreticos ad integritatem fidei Christianæ convertit: inter quos & hæresiarcham quemdam, Bonovillum nomine, ab annis triginta erroris pestiferi tenebris obcæcatum, ad lumen veritatis induxit, & usque ad mortem mandatis Ecclesiæ stare fecit.

[11] Sed quoniam longum foret enarrare per ordinem, quot diversas provincias prædicando lustraverit, quanta ad eum tam majorum, [Caeterum, his omissis, auctor transit ad mortem Sancti,] quam minorum reverentia, quantusque caritatis affectus extiterit; qualiter in diversis officiis sibi injunctis se gesserit, quotve perditas animas Creatori suo reddiderit, prætermittendo hæc omnia breviter transeamus; & sermonem, quo tendimus, ad rei exitum convertamus. Verumtamen in explicando postmodum ejus ultimo vitæ cursu satis intelligi poterit, quanta prædicationis efficacia veri a Deo missi, per multum tempus, in diversis terrarum partibus, [solumque addit, quod apparens in Capitulo S. Franciscus,] fuerit; cum tantum infra unius Quadragesimæ spatium in una civitate perfecit. Sed hoc in ejus laude ad præsens prætereundum non est, quid vice quadam Fratribus, ad Capitulum in Provincia congregatis, Sanctus hic de titulo Crucis, dulcisque Jesu passionis suppliciis, dulci modulo prædicavit: cum beatissimus Pater Franciscus, eo tempore corporaliter adhuc vivens, sed in alia regione tunc longius remotus, se in aëre filiis, novo ac stupendo miraculi genere, præsentavit. Nam, [ejus prædicationem

visus sit probare.] ac si approbando viri Dei sermonem, quid audientibus imitandum foret, ostenderet; felicibus cujusdam assidentium oculis, tamquam brachiis in patibulo crucis protensis, apparuit; filiisque qui aderant benedicens, Crucis eos signaculo consignavit.

EMBOLISMUS.

Ex Surio, & Annalibus Waddingi.

[12] [Paduæ I vice agens Sanctus,] Lubet hic, nimis properantem Vitæ. Auctorem, nonnihil sistere, atque ex Vita Suriana & Annalibus Ordinis, loca quædam illustriora excerpere, non ita commode alibi colligenda. Primum sit, quod habes cap. 30 Vitæ prætitulatæ, videturque ad primum S. Antonii Pativii commorantis tempus spectare, his verbis relatum: Cum Paduæ degeret vir Dei, Ulysbonæ duo cives inexplabili odio se mutuo prosequabantur: e quibus alter juxta ædes parentum beati viri manebat: & cum hora vespertina filium hostis sui in platea invenisset, per summam crudelitatem jugulavit, & intempesta nocte in horto parentum viri Dei, facta fovea, eum sepelivit. Cum autem nobilis esset is, cujus filius cæsus erat; inquisitum est diligenter, & repertum, ejus filium illac transisse, ubi ejus inimicus morabatur. Itaque ejus domo & horto lustrato, nihil compertum est. Itum est ad vicinas ædes, & in horto illarum pueri cadaver inventum est. Itaque pater sancti viri cum tota familia conjectus est in vincula, tamquam reus cædis illius. Id vero ut per spiritum Paduæ cognovit vir Dei, [transfertur Ulyssipponem ut patrem a suspitione cædis liberet:] vesperia Guardiano petiit copiam exeundi, quæ illi negata non est. Eadem nocte magno miraculo Ulysbonam perductus est, & proxima luce ad Judicem se contulit, rogans ut insontes e vinculis dimissos pateretur abire domum. Illo modis omnibus recusante, petiit cadaver perempti pueri ad se adferri. Quo allato, jussit surgere puerum, & dicere, num

a parentibus ipsius occisus. Ille surgens, dixit ejus cædis illos prorsus conscios non esse: atque ita discedendi est illis facta potestas. Mansit toto illo die cum parentibus suis vir beatus, & mane angelico ministerio Paduam reductus est.

[13] [item alias, ut juvet peculatus accusatum.] Similem casum addit Paciecus num. 79. Patri ipsius Sancti Martino commissa fuerat notabilis Regiæ pecuniæ summa, in ministros aliquot inferiores distribuenda: quod cum ille non cum tanta fecisset cautela, quin plurimum, qui ipsam acceperant, sygraphæ desiderarentur; dum esset accepti expensique reddenda ratio, appellatique qui sciebantur accepisse, aut totum aut partem negarent; nihil propius erat, quam ut ipse Martinus damnaretur peculatus, in ejusque bona omnia manum injiceret Fiscus. Citatur ergo in judicium ille, una cum aliis, quos in negando accepto apparebat futuros pertinaces. Cum subito coram omnibus adstitit, qui in Italia longe aberat, Antonius; & gravi ac severa voce dixit, Tu tantum tali hora, tu tali die recipisti: si negare pergitis, vindicabit veritatem violatam Deus: atque hæc effatus, disparuit. Ea autem verborum efficacia fuit, ut continuo facti sint, quod ante inficiati erant: suaque res & fama integra Martino mansit. Multis deinde Paciecus quærit, quo in munere tunc pater Sancti fuerit, & qua occasione ei commissa pecunia: quibus omiſis, transeo ad Surianæ Vitæ Caput 17.

[14] [Malleus hæreticorum assiduus,] Fuit autem viri Dei id præcipuum semper studium & conatus, ut perniciosissimas vulpeculas, quæ demoliuntur vineam Domini Sabaoth, nempe hæreticos pestilentes, & falsas eorum doctrinas, pro viribus oppugnaret, funditus destrueret, ac radicitus extirparet. Hæresiarchas quosdam in publicis disputationibus Arimini, Tolosæ, & Mediolani palam convicit, & errores eorum coram

omnibus confutavit. Adeo enim instructus erat, & efficacibus scripturæ divinæ sententiis, & solidis ac perspicuis rationibus; ut qui nefanda essent hæresi imbuti, coram illo consistere aut os adaperire non auderent: ita ut ad illum quoque pertinere videretur, quod Dominus promisit discipulis suis: Ego dabo vobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere & contra dicere omnes adversarii veritatis. [Luc. 21, 15] Detegebat mirum in modum hæreticorum fraudes & versutias, conatus retardabat, errores abominandos cum multa vituperatione traducebat. Nec facile quemquam ea tempestate uspiam invenire licuisset, quod ipse a quoque publice fatebatur, [multum inter illos fructum facit:] qui tam acriter & perpetuo illos insectaretur, tamque continuam persecutionis procellam illis excitaret. Unde factum est, ut passim ab omnibus indefessus hæreticorum malleus diceretur. Nec sine fructu fuit labor viri Dei, plerisque hæreticis cum ipsorum fautoribus, ad veritatem & obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ, revertentibus. Ad usurarios efficacissimum fuit, quod habetur cap. 28 Vitæ præcitatæ. [& usurarii cor in cista ejus quæri jubet.] In usurarii cujusdam exequis vir Dei concionaturus, thematis loco accepit illud ex Evangelio: Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. [Mat. 6, 21] Sub concione autem inter cetera ait: Mortuus est hic dives, & sepultus est in inferno. Ite ad thesaurum ejus, & in illius medio invenietis cor ejus, corpore jam humato. Abierunt hominis parentes & amici, & cor adhuc calidum in medio nummorum ejus invenerunt.

[15] [Ad Confessiones integre faciendas multos inducit,] Quando ad populum concionabatur eximius præco Christi, sermo ex illius ore tamquam ex ardenti camino proficiscens, mirabiliter solebat movere auditores, ipsasque animorum penetrare medullas, & multam in iis devotionem & compunctionem, vitiorumque odium & detestationem, excitare; ita ut plerumque alter alteri diceret cum multo gemitu: Heu me miserum, qui

numquam antehac isthuc putarim esse peccatum: quod si scivissem, certe numquam illud admisistem: Mutuoque se hortabantur ad faciendā Confessionem, ad suscipiendas peregrinationes religionis ergo, ad jejunia certis diebus amplectenda in honorem matris Dei, aut similia pietatis studia sectanda, Quis vero possit dicendo consequi, quæ illic fusæ sint lacrymæ, quæ ab imo pectore ducta suspiria, quæ pectorum tunsiones in obstinatis peccatoribus conspectæ? Adeo enim Dominus mirificavit sanctum suum, ut non solum usitatis quotidie coruscaret miraculis, sed etiam inaudita ob eo signa ederentur. Sicut enim beatus Nicolaus fertur per visum apparuisse Constantino Magno, ejusque Præfecto, minasque intentasse, [etiam per visum apparens.] ni dimitterent homines innoxios in carcerem coniectos; ita hic vir beatus, quos per peccatum cernebat a maligno dæmone vinctos detineri, & ad mortem tendere sempiternam, iis liberandis præcipuam navabat operam. Et solebant nonnulli venire ad Fratres, cum adhuc viveret vir Dei, & pro certo affirmare, ipsis in lecto jacentibus apparuisse eum, & dixisse: Surge, Martine; surge, Agnes: abi ab illum Fratrem, & hoc sive illud peccatum ei confitere, quod tali in loco perpetrasti, cujus nemo præter Deum conscius erat. Qua ratione peccata prorsus occulta expiata fuere.

[16] [Auditur cum silentio mirabili.] Hactenus Cap. 3, quibus non absimilia leguntur cap. 16, relata ad tempus ultimæ Quadragesimæ, per quam Patavii dixit ad populum. Ibi hoc etiam admirabile notatur, quod in tanta ad sermones Antonii undique concurrentium turba, nullus sese comprimentium clamor audiebatur, nulla cernebatur dissolutio, risus nullus, nullæ voces percipiebantur, nulli infantium vagitus, quibus vel parum ejus conciones interpellarentur. Stabant omnes arrectis auribus, intentissimis perpetuo in virum Dei oculis, sine ullo tædio, cum multa devotione eum sustinentes, perinde acsi non homo, sed Angelus lapsus e summo cælo, ad illos

concionaretur. Neque id mirum, quandoquidem tanta illum Dominus gratia perfuderat, ut lingua facundissima, voce clarissima, sua verba instar tubæ cujusdam expromens, ab omnibus & audiretur & intelligeretur. Nec id admiratione vacat, cum in longinqua regione natus & educatus multo tempore fuisset, quod Italico idiomate adeo polite potuit, quæ voluit, pronuntiare, acsi extra Italiam numquam posuisset pedem.

[17] [Processiones flagellantium eo auctore inducta.] Cœperunt tum primum homines, catervatim sese verberando, & pia cantica devote depromendo, procedere. Atque ea laudabilis consuetudo, a tanto auctore profecta, deinceps suis est aucta incrementis; ita ut in omnibus fere Italiæ locis accuratissime hodieque observetur. Refert hæc Waddingus ad annum MCCXXV num. 19, & simul notat, quod licet Polydorus Virgilius lib. 7 de rerum invent. cap. 6 castigando corpori adhibitas flagellationes ad Apostolorum tempora referat, tamen ante S. Antonii tempora, non adeo clara apud Auctores memoria habetur hujusmodi congregationum, aut hominum in societate se flagellantium: neque eas propterea improbandas, quod centum post annos exorta est perniciosa Flagellantium secta, incerto auctore; qui plures excutiebant errores, & condemnati fuerunt a Romanis Pontificibus, præsertim Clemente VI. Hoc enim non obstante, Devote & Christiane se flagellantes, etiam in publicis supplicationibus ad peccatorum satisfactionem, veluti docuit S. Antonius, semper ab ejus tempore permisit & laudavit Ecclesia. Sed redeo ad Vitam Surianam, cujus est sequens articulus cap. 11.

[18] [Docendo & regendo prodest Fratribus.] Multa vero insignia Ordinis sui monasteria, prælegendo, disputando, concionando illustravit & ornavit; idque tum zelo fidei & fervore Christo animas adducendi, tum studio Fratres instituendi, tum quoque desiderio cohonestandi Institutum

sive Ordinem suum, qui per id tempus propter imperitiam apud plerosque in contemptu erat. Idem autem ipse etiam in Æmiliæ provincia, permultis annis Fratrum Minister cum laude fuit. Etsi vero doctrina & verbo in Italia vix quemquam parem haberet; at nihilominus in sua Præfectura, vel Ministri functione, mire commodum & humanum se præbebat. Cum autem in civitate Podiensi Guardiani ministerio fungeretur, erat illic Notarius quidam, omnino lubricus, carni & mundo addictus. Eum quoties præteriret vir Dei, nudato capite coram illo genu flectebat. [Hominem lubricum veneratur] Ille vero existimans id in sui irrisionem & contumeliam fieri, animo perturbabatur; dabatque modis omnibus operam, ne illum unquam obvium haberet. Sed cum die quodam ab insperato eum transiret vir sanctus, & ita, ut diximus, erga illum se gereret; exacerbatus homo, dixit: Nisi timerem Dei iram, gladio te percuterem, quod ita me ridiculum facis. Quid sibi vult isthuc, quod coram me poplitem flectis? Respondit vir beatus: Ego me libens Deo Martyrem obtulissem, sed illi non placuit. De te autem ille mihi revelavit, præclarum te Martyrem fore. Oro itaque, ut ubi ad martyrii agonem perveneris, mei memor esse velis. Hoc ille audiens, risit. At non multo post tempore, Episcopus Podiensis cum multis aliis profectus est Hierosolymam, [ut Martyrem futurum.] ut Saracenis Christum prædicaret. Et ecce divinitus permotus Notarius ille, venditis suis rebus omnibus, cum illo iter ingressus est. Cum autem pervenissent ad Saracenos, & Episcopus sic satis frigide haberet conciones, semel quidem, & iterum, & tertio Notarius dissimulavit. At tandem instar B. Vincentii increpat Antistitem, quod ita frigide fidem Christi & prædicet & propugnet: divinoque afflatus Spiritu, cum multo fervore cœpit docere Saracenos, Christum esse verum Deum & Dei filium, Mahometem autem filium esse satanæ & perditionis. Quod illi non ferentes, rapiunt hominem, & per triduum diris eum suppliciiis excruciant. Cumque jam ad mortem duceretur,

exposuit Fratribus, Antonium id prædixisse, quod ipse Martyr futurus esset. Fuit ea res populo occasio, multa deinceps reverentia S. Antonium prosequendi.

[19] E Provincia trajiciens in Italiam anno MCCXXV, inquit Waddingus num. 20, auctores allegans Chronicam Mariani lib. 2 cap. 3, & Rodulfium Tossignianum in Historia Seraph. Relig. fol. 280 & seqq. jam secundo (nam primo id contigerat ex Lusitania venienti) tempestuoso mari delatus est in Siciliam. Ibi quædam extruxit monasteria, veluti locorum traditio & Fratrum fert fama. Cephaludi, seu Cephalæ unum, ubi ultra trecentos annos perpetuo viruit cupressus, ejus manibus plantata; aliud Neti, [In Sicilia quosdam Conventus fundat.] in amœnissimo situ; tertium Leontini.

[20] E Sicilia missus Romam anno MCCXXVII, ab illius Provinciæ Ministro ad res quasdam obeundas, [Roma in Galliam transit:] tantam Principum Ecclesiæ erga se benevolentiam reperit, ut ab ipso Pontifice Maximo, Gregorio IX, conciones illius incredibili studio & devotione auscultatæ sint.... Factus tunc Guardianus Podiensis sive Aniciens in Gallia, summa humanitate & prudentia Fratres rexit; & proximos continua prædicatione miroque exemplo ad frugalem vitam reduxit.... Ejusdem opera circa hoc tempus civis quidam Brivensis, nomine Quintus de Falcicis, suis sumptibus in eadem civitate Minoribus domum construxit. Aliquam in hac domo S. Antonius moram traxit; & extra urbem invisere licet speluncam, in quam orationis & pœnitentiæ gratia secedere solebat. Non longe post in eadem provincia Aquitaniæ alii monasterio dedit initium, quod ab eo nomen accepit. Incertum autem est, an in itinere Galliam versus, an vero in reditu, [in Forojulii & alibi varia miracula facit.] initium dederit Conventui Glemonæ (oppidum id est regionis Forojulii, situm in montibus supra Vtinum) quod propterea ab eo nomen accepit. Certe mortuus istic ab eo suscitatus

dicitur, dum extrueretur Conventus; prout refert Waddingus num. 19. Reliqua quæ referri miracula poterant, quia certis annis alligari nequibant, idem Waddingus ad extremum dimisit annum. Ego, simul omnia infra daturus, eadem trajicio, ut quæ cum Ministro Generali Aßisii acta sunt, antequam Patavium ibi moriturus rediret, huc transcribam, sicut ea idem Waddingus refert anno MCCXXX num. 8. Sed nullis, quod alibi passim solet, allegatis auctoribus; credo, quia id necessarium non putaverit.

[21] [Assisii, in Capitulo anni 1230,] Fuerat anno isto, qui erat post obitum S. Francisci quartus, ab ecclesia S. Georgii Aßisii, Monialibus S. Claræ intra civitatem adducendis concedenda, ad novam augustissimamque Basilicam, Eliæ opera constructam, translatum sancti Patriarchæ corpus, in profesto Pentecostes die XXV Maji, annuente summo Pontifice. Fabricæ illius occasione idem Elias, obtinendo quædam privilegia, contra genuinam Regulæ observantiam, præcipue circa res pecuniarias, quas in quibusdam casibus recipi posse per interpositas personas obtinuit; dum cogitaret rem gratam se præstitisse, & persuadere vellet Fratribus, non adeo ad ungem neque ad litteram observabilem esse normam a S. Francisco traditam, nisi ab hominibus sibi similibus et Deo proximis, præcipuos contra se concitavit. Etenim, qui Francisci spiritus & voluntatis erant participes, [Ministro gen. Eliæ, paupertatem laxandam suadenti.] ad iniquas has persuasiones conturbati, intra se clanculum inierant consilium: neque enim in publicum audebant prorumpere, timentes hominis indignabundam potestatem, & copiosum eorum numerum qui ei adhæserunt, & in admittendis relaxationis privilegiis consenserunt, partim ex timore, partim ex simplicitate & ignorantia. Ast metum omnem excutientes duo viri præstantes, Antonius Lusitanus, a Padua dictus, & Adam de Marisco Anglus, restiterunt homini in faciem, viriliter objicientes, hæc ejus privilegia

in Religionis tendere ruinam & subversionem status Evangelici.

[22] [intrepide se cum Fr. Adamo opponit Antonius:] Antesignanis his in acie constitutis, accesserunt alii viri præstantes, præcipue Albertus Pisanus & Joannes Bonelli Florentinus, ille Angliæ, hic Provinciæ Minister; qui Capitulum Arelatense celebrabat, quando, prædicante hoc ipso S. Antonio, S. Franciscus ad ostium apparuit, Fratribus benedicens. Nullus tamen est ausus palam Eliæ resistere, præter hos duos, qui patenter Regulæ puram observantiam illæsam volebant. Non fecerunt tamen impune; nam & malo verbo & duro verbere affecti, complices Eliæ senserunt molestos contradictores: qui tamquam in schismaticos & Ordinis divisores animadvertendum contendebant. Videntes ergo illi nihil se proficere, & Religioni imminere detrimentum, contra quasdam sententias severe in se latas, appellationem ad sanctam Sedem interposuerunt. Nihilominus Elias eos carceri mancipari voluit; [& Romam ad Papam confugit.] fecissetque, nisi cujusdam gravis viri Genuensis, Apostolici Pœnitentarii, Papæ Confessarii, regularis observantiæ zelatoris, auctoritate protegerentur; cujus astu e manibus persequentium evaserunt; & cum ipso Patre Pœnitentario a facie inimici fugientes, ad Dominum Papam perrexerunt.

[23] [Qui audita querela] Fugam audiens Elias, suspicari & timere cœpit deferendas querelas Pontifici, urgendasque a Confessario amico: misitque nuntios & litteras per veloces tabellarios, qui fugientes caperent vel ab itinere reducerent. Illi vero sibi caventes, e regia via ad anfractus deflexerunt, & in præparatas sibi insidias non inciderunt, festinato gressu ad Pontificem properantes. In pii Patris conspectu positi, gratanter ab eodem recepti sunt (nam eorum virtutem & doctrinam a multis diebus perspectam habebat) querimoniasque

placide excepit; [Eliam ad causam dicendam citat.] ingemiscens, tam cito ab Institutoris morte, sanctum institutum adeo concuti, & filios studia in contraria discindi. Misso itaque cursore citavit coram se Ministrum generalem Eliam, & viros omnes Capitulares, ut tanto malo maturius obveniret.... Aduit ille cum omnibus conscriptis: quibus in unum congregatis coram Sanctissimo Domino, intrepide multa illi objecerunt duo illi, Lusitanus & Anglus, qui a facie ejus aufugerant; vitam lautam, equum bene habitum, plures domicellos, privatum victum, & præ omnibus extorta, vel fallaciter aut subreptitie obtenta, ab ipso Pontifice privilegia.

[24] Ad hæc respondit Elias: Restiti, Pater sancte, electioni de me factæ post Institutoris obitum; atque [Hic conatur se excusare;] allegavi, me debilioris esse complexionis, quam ut pedes possem hinc inde per Provincias discurrere, aut strictam agere vitam communem. Electores vero institerunt, ut impositum officium admitterem: cui exsequendo, si necessarium esset, volebant ut aurum manducarem & equum haberem. Admisso deinde ad eorum preces officio, equo omnino indigui: huic ducendo agaso necessarius: deinde ad multa ministeria & varios discursus, opus est famulo: his alendis nummos oportet in promptu habere: quæ licet necessitas & Fratrum consensus approbat; attamen, ad majorem conscientiae securitatem, cum vestra Sanctitate egi, ut amplius hæc mihi licerent. Deinde circa curam fabricæ mihi impositam, significavi voluntatem S. Francisci, mihi per ipsum secreto patefactam, [sed refutante cum Antonio,] & ex parte vestræ Sanctitati perspectam: neque tam insigni viro & pretiosis Reliquiis digna potuit præparari basilica, absque multa & solerti collectione pecuniæ. Et sic per singula tanto eloquentiæ ornatu & apparenti rationum pondere respondit, ut audientibus injuste videretur accusatus. At ex opposito arguens Antonius: Sanctissime Pater, inquit; si, juxta morem

loquendi, concessum ei fuit aurum manducare, non tamen aurum thesaurizare; si equum habere, non ad scandalum nobiliter alere; si pro fabrica modeste colligere, non Ordinem universum expilare; si suis necessitatibus privatim indulgere, non Principis vitam agere, atque malo exemplo universum Ordinem laxare. Pater sancte, hæc illa hujus nostri Primicerii norma vivendi.

[25] Intumuit cholera & bile Elias, nec se potuit continere, quin ultra omnem urbanitatem coram Pontifice diceret, eum mentiri. [absolvitur ab officio.] Commotus Pontifex ad hominis excessum, omnibus silentium indixit; neque ipse per horæ medium quidquam dixit, alto trahens pectore suspiria, sæpius sublevatis oculis in cælum; donec tandem in hæc verba prorupit: Tu, Rex altissime, apud te cogitasti in tabernaculo tuo, quid in hac regione singulis temporibus esset futurum; atque ita servo tuo Francisco varios eventus ostendisti, in mirabili & mysteriosa illa statua, cujus partes ipsemet eidem explicasti. Vereor, ne jam jam incipiant apparere hæc mysteria, & mutari color optimus auri ex quo caput erat compactum, & declinet in humilius metallum. Caput hoc, quod nos instituimus, longe degenerat a primo. Nos sane putavimus, illud toti Ordini placitum, propter familiaritatem & arctam necessitudinem quam habebat cum S. Francisco: at aliter evenit quam speravimus; neque enim prodesse, sed obesse videmus commendato sibi Instituto. Auctoritate itaque nostra eum absolvimus ab officio, & absolutum declaramus; volumusque ad alterius electionem, nobis præsentibus, procedatur. Collatis itaque suffragiis, facili negotio & absque ulla mora, communi consensu cooptatus est in Ministrum generalem, Joannes Parens, Minister Hispaniæ, natione Florentinus, vir sanctus & justus, veri parentis munia erga omnes excercens. Electum Papa libenter confirmavit: [Antonius vero rogatus in Curia manere,] Antonium vero Lusitanum & socium Adamum, injuste ab Elia censuris innodatos declaravit, & ad

majorem cautelam ab eisdem absolvit; gratias addens, quod se strenue opposuerint Ordinis imminenti ruinæ: Antonium autem hortatus est, ut excolendæ suæ doctrinæ totus incumberet: quod ut facilius & æquius præstaret, absolvit eum & exemit a quocumque officio & onere Religionis, rogans ut aput se manere vellet in Curia. [id recusat seceditque in M. Alverna.] Ille vero, Curiaæ honorem & turbas declinans, secessit in Alvernæ montem, ubi cum Apostolica benedictione aliquando moratus est.

CAPUT III.

Adventus S. Antonii Patavinus, ejus ibi morbus & obitus.

[26] Postquam ergo cursum servi sui fidelis Antonii Domino consummare complacuit; [Absolutus a regimine Sanctus,] uno ante felicem ejus transitum anno, in Capitulo videlicet a generali, quo Reliquiarum beatissimi Patris Translatio facta est, idem vir Dei Antonius ab omni Fratrum regimine prorsus absolvitur, eique generalis prædicandi libertas quacumque partium conceditur. Primum itaque libertatis hujuscemodi cursum ad civitatem Paduanam direxit, ubi jam pridem sinceram populi devotionem, dum opusculum quoddam Sermonum Dominicalium compilaret, expertus; jam nunc, ad instantiam Domini Ostiensis Episcopi, festivales etiam Sanctorum Sermones præfato operi connexus, explere hoc potissimum in eadem civitate disposuit. [Patavium secedit, sermones de Sanctis ibi absoluturus:] Quo postquam pervenit, mox piis animum studiis occupavit: totumque ibi spatium hyemis, cum interpolata quandoque prædicatione, transegit. Postquam vero sacrum Quadragesimale tempus advenit; totum illud in quotidianis prædicationibus aut confessionibus audiendis expendere voluit, [Quadragesimales conciones exorsurus, pene suffocatur a dæmone:] sicut & fecit. Sed felicibus

ejus actibus obviare volens humani generis inimicus, nocte quadam circa Quadragesimæ principium, cum se post laborem sopori dedisset; ejus tam valide guttur strinxit, ut ipsum, nisi divino fuisset nutu prohibitus, suffocasset, sicut ipse postmodum familiariter retulit. Statimque nomen gloriosæ Virginis invocans, oculos liber aperuit, totamque ubi jacuit cellulam, superni luminis illustratam claritate, conspexit: quod utique ferre non sustinens inimicus lucis, abscessit.

[27] Cumque Domini Servus, id quod in sacro tempore disposuerat facere, continuare cœpisset; tanto desiderio audiendi ipsum accensa est universitas populi, ut turmatim cunctis ad eum confluentibus, quotidianas in Ecclesiis oporteret stationes indici. [multitudinemque auditorii in apertum campum coactus educere,] Porro cum multitudo populi capacitates Ecclesiarum excederet, ad spatiosa sese camporum loca convertit; ibique imbre doctrinæ salutiferæ sitientes ex abundantia spiritus irrigavit. Illuc quotidie sine intermissione tota civitatis Paduanæ frequentia confluebat: illic, cum Clero & viris religiosis, Episcopus aderat. Non solum autem, sed ex adjacentibus civitatum, castrorumque, & villarum locis, innumerabilis pene turba convenit; & nocturnis horis, [miros fructus facit:] ubi prædicandum erat, accensis luminaribus properantes, congruum sibi quisque locum præoccupare contendit. Illic ambitioso vestium cultu rejecto, utriusque sexus delicati ac teneri residebant; & missam quotidie desuper gratiam usque in finem humiliter expectabant. [& a 30000 attentissime auditur.] Intendebatur autem ab omnibus tanto studio, cum famulus Domini loqueretur; ut in triginta vel amplius hominum millibus vix murmur aut strepitus audiretur. Sed & stationarii, clausis rerum venalium apothecis, nihil omnino vendere præsumebant, donec ad sua sermone soluto singuli quique redibant.

[28] Finito autem Dei verbo, omnis eum turba vel tangere per devotionem permaximam nitebatur; ita ut vadens aut veniens, [dimissa concione, plurimi ad Confessionem accedant,] sæpius violenter comprimi timeret, nisi valida juvenum multitudine stiparetur. Ibi videres ad pacem mortales inimicitias reformari; ibi longa captivitate detentos libertati donari; ibi cambias & usuras restitui; ibi reddi pignora, & debita relaxari. Ibi quique consilium pro suorum qualitate criminum requirentes, omnino se stare viri Dei arbitrio promittebant, & se ad hoc ipsum per visionem admonitos plerique dicebant. Ibi convertebantur publicæ peccatrices, ibi diversi generis peccatores ad pœnitentiam recurrentes, ut nec Confessionibus audiendis sufficerent Sacerdotes. Sic igitur Dei servus Antonius, licet ægrotatione continua & molesta quadam naturali e corpulentia premeretur; a prædicando tamen, [ejusque vestem attingere student.] ab audiendo Confessiones, & dando consilia, nullo laboris gravamine flectebatur. Sic salutifera vitæ semina jaciens, quadraginta dierum spatia percurrit, & copiosam Domino messem fidelium congregavit. Sic demum servi sui merita divulgare Dominus in populo voluit, quem in brevi palam cunctis glorificare disposuit; ut tanto hunc postmodum ampliori devotione recolerent, cujus jam antea sanctitatis insignia cognovissent. Jam enim in tantum de meritis ejus miranda totius populi devotio præsumebat, quod si quis vel modicum de vestimento præcidere poterat, non parvas in hoc Reliquias se habere gaudebat. Si quis eum vel alloqui vel tangere meruit, id ipsum pro grandi munere imputavit.

[29] Quod autem hanc ipsam sui glorificationem vir Dei præsciverit, satis evidenter sic intelligi poterit. Nam die quodam planitiem Paduæ, [Civitatem brevi glorificandam prædicat,] situmque civitatis ipsius, a quodam colle prospiciens; exultans in spiritu, magnis eam, comite itineris audiente, laudibus extollere cœpit, grandique

honore in proximo decorandam asseruit. Quod utique quam patenter ipse rei exitus comprobarit, a die transitus ejus usque in præsens, ipsa se non inexpertam Padua gratulatur; quæ, [scilicet ex affluxu futuro ad suum corpus.] ob ipsius Sancti merita, tam innumerabilium populorum frequentia visitatur, tamque dignis laudum præconiis & magnificis muneribus honoratur: quæ, inquam, thesaurum signis irriguum possidet, & quæ tam incomparabilis rei titulo gaudet: quæ in suo tot miseris Antonio providet. Felix quondam in omnibus, Padua, non immerito gaudeas & exultes; ac digna benedictione ejus, [Instante messe secedit in locum solitarium,] unde tam gloriose ditata es, usque in finem titulum rei serves. Post hæc, instante jam tempore messis, vidit vir Dei populum in colligendis frugibus occupandum, & ob hanc causam sibi censuit ad tempus a prædicatione cessandum. Crebra quoque secularium colloquutione fatigatus, a civitatis tumultu se transtulit; & ad solitarium locum, qui campus S. Petri dicitur, pro spiritus recreatione divertit. Quem quidam vir nobilis, Tyso nomine, cujus videlicet dominio suberat locus Fratrum, cum summa devotione suscepit, & [hospitium] ei humane multum ac gratulanter exhibuit. Cui etiam post dies paucos, in amœno loco, quem non longe a domo Fratrum arboribus consitum habuit, cellam propriis manibus, super nucem, ramis a stipite dilatatam, construxit; quam spiritalibus congruam studiis suo gratanter Antonius usui mancipavit.

[30] Hic igitur cujus erat in cælo conversatio, jam a terra in supremo vitæ tempore ipse se sublevavit; [ubi infirmitate correptus,] ut videlicet ibi, sacris meditationibus ac devotis orationibus deditus, purificaret ab omni terrenorum contagio spiritum, qui sic ostendere comprobatur supernis se brevi spiritibus aggregandum. Qui cum die quadam refectionis hora descendisset ad Fratres, vehementi subito cœpit infirmitate torqueri; & lectulo decumbens, toto mox corporali vigore destitui.

Cumque magis ac magis invalesceret ægritudo, [Paduam se referri mandat;] non se diu subsistere posse persensit. Itaque, ne Fratres loci pauperes gravarentur, Paduam se reduci rogavit: Fratres vero, ne ipsos desereret, quantum poterant renitentes; tandem ipsius, licet inviti, desiderio consenserunt, & cum dolore impositum currui dimiserunt. Jam non longe ab ipsa civitate distabat; cum alius quidam Frater ei obvius erat in via, qui ad ipsum visitandi gratia properabat: [sed persuasus ad Moniales deflectere,] videns autem in vehiculo virum Dei nimia infirmitate detentum, suadebat ei, ne propter turbarum importunitatem, ad Fratres de S. Maria in civitatem intraret; quin potius ad cellam Fratrum, qui divina Dominabus pauperibus ministrabant, diverteret. Cujus consilio Christi famulus acquievit, ac se ad eandem cellam duci permisit.

[31] Non multo post, crescente morbo, jam cœpit omnino deficere, & ad exitum signis evidentibus propinquare, Post igitur sanctam Confessionem, & Absolutionem acceptam, Hymnum beatæ Virginis, videlicet, O gloriosa Domina I, dicere cœpit: deinde luminibus sursum erectis, [ibi pientissime moritur, an. 1231.] aliquamdiu in directum suspexit. Cumque diligentissime sic intendens, interrogaretur quid cerneret? respondit, Video Dominum meum. Igitur Uctionem devote suscipiens, Psalmos pœnitentiales ipse cum Fratribus decantavit, & ad finem usque complevit. Post hæc paululum, quasi dimidia fere hora, sustinuit; & sic inter manus assistentium, leviter dormienti similis expiravit. [13 Junii.] Mortuus est autem sexta feria gloriosus Christi Confessor Antonius, die mensis Junii tertio decimo, anno Dominicæ Incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo primo.

CAPUT IV.

Pro corpore in civitatem allato contentio,

ejusque solennis sepultura apud Fratres.

[32] [Innocentium vocibus mors Sancti innotescit civibus:] Post mortem viri Dei, non statim ejus transitum Fratres propalare volebant, eo quod tumultuantis populi multitudinem importune subito super se irruituram timebant. Sed quod omnino celandum non fuit, mirabiliori hoc ordine cunctis innotuit. Adhuc enim omnes, præter illos qui affuerant, id quod acciderat ignorabant; cum protinus catervatim per civitatem pueri gradientes, sic vociferantes clamabant; Mortuus est Pater Sanctus: mortuus est, inquit, Sanctus Antonius. Qui rumor in omnes continuo civitatis angulos decurrit, & totius aures populi mox implevit. Festinato igitur, ne quis rapiat corpus, cum armatorum multitudine cives de Capitepontis accurrunt: sed & alii sine mora communiter utriusque sexus omnisque conditionis adveniunt, plurimumque flebilem unanimiter planctum sumunt.

[33] [qui armati accurrunt, ut corpus rupiant.] At vero præ ceteris plus lamenta pauperum Dominarum Conventus ingeminans, hoc sibi tandem in solatium per Majores civitatis procurare disposuit, ut eum, quo vivo potiri pro voto non possent, saltem per illos defunctum non perderent: ad quod obtinendum confestim clam Fratribus nuntios destinarunt, & quam plures Majorum suæ petitioni consentaneos invenerunt. Venientes itaque Fratres, ad S. Mariæ Virginis ecclesiam commorantes, ubi videlicet sanctus vir sepulturam elegerat, corpus sibi dari deposcunt: quibus ex adverso præfati cives de Capitepontis stantes, ne vel tangant permittunt; sed armata fortium manu studiose custodiunt. Fratres vero taliter passi repulsam, quid facto sit opus Episcopum consulunt: eumque, [Jussu Episcopi opponit se Prætor:] contra hujusmodi præsumptiones, in sua causa benignum inveniunt. Mandat igitur Episcopus Potestati Civitatis ut veniat, Fratribusque ad deferendum corpus pro posse

præsidio fiat. Sed prædicti cives nihilominus Potestati resistunt: se & sua pro defendendo Sancti corpore periculis offerunt, & in hoc etiam inveteratis inimicitiis discordantes conveniunt. Dolum quoque suspicantes, ipsum corpus rapere voluerunt; & vix tandem ad hoc inducti sunt, ut Ministri, a quo Fratrum causa pendeat, præstolarentur adventum.

[34] [noctu tamen vim parantes, miraculo prohibentur.] Media autem nocte clamor impatientis populi factus est magnus, modis omnibus videre desiderantium Sancti corpus. Accidit autem denuo mirabile, ut impetu facto cellam Fratrum per tres quidem vices infringerent, sed stupefacti ac cæcitate percussi nec semel saltem, foribus etiam patefactis, introire valerent. Altera die quam plures quoque ex locis adjacentibus affluerunt; & qui per se tangere præ multitudine corpus non poterant, aliquid suorum per alios ad tangendum, veluti zonam, monile, vel annulum, porrigebant. Pendente igitur propter absentiam Ministri negotio, Fratres ob æstivum calorem corpus in capsellam ligneam incluserunt, & in foveam missum humo leviter obdixerunt. Moxque rumor sonat in populum, corpus videlicet esse raptum: statimque furibundi omnes in cellam cum gladiis & fustibus irruentes, nequaquam a cæpto furore quiescunt, donec factum factique causam curiosius perscrutantes intelligunt.

[35] [Causa, ad Ministrum,] Veniente autem Ministro ad vesperam, sine mora coram illo sæpe fati cives assistunt. Petentes igitur ab ipso cum instantia corpus, non solum pro hoc rationes allegant, verum etiam minas intentant; quod videlicet in causa cuidam, nec pro rerum dispendio, nec pro periculo mortis, cedant. Quorum irrationabilem Minister pertinaciam audiens, humiliter eos & caute deduxit; & ipsum corpus usque in crastinum custodiri rogavit. Mane autem futuro, [deinde ad Episcopum delata, adjudicatur Fratribus:] qui jam dies erat tertius,

idem Minister ad Potestatem civitatis accessit, ejusque consilium simul & auxilium postulavit. Qui convocato consilio, sub pœna centum librarum, ne Fratribus a quoquam violentia fieret statuit, donec audiretur ab Episcopo & Clero negotium diffiniri: jubens nihilominus ipsum corpus ex communi consensu omnium custodiri.

[36] Quarta ergo die Episcopus cum Clero diligenter in causa processit: multisque allegationibus hinc inde auditis, diffinitivam tandem sententiam pro Fratribus intulit: maxime quoniam apud ipsos sepulturam Vir Dei, cum morti propinquaret, elegit; cum quibus, dum adhuc sospes viveret, intrans & exiens comparem se eisdem in omnibus cohabitatorem exhibuit. Denuntiavit itaque tam Clero, quam omni populo, ut ad efferendum corpus unanimiter in crastinum convenirent: mandans etiam Potestati, ut fideliter Fratribus, nequid molestiæ paterentur, astaret. Fecit igitur Potestas, per medium fluvii, pontem ex navibus coaptari; timens, [quare versus in seditionem populus,] ne novam præfati cives seditionem forsitan concitarent; si per fines suos corpus, quod sententia contra se lata perdiderant, deferri videretur. Sed iis visis illi nihilominus in seditionem versi, pontem de navibus facto impetu confregerunt; insuper & omni se periculo pertinaciter offerentes, si quis contra ipsos vel corpus attentare præsumeret, personasve, seu domos, aut aliquid suorum invaderet. Quod adversa pars audiens ad arma similiter convolvit, & contra pontis destructores aciem non minus animosam direxit.

[37] Videntes autem Fratres tam exitiale civitati imminere discrimen, non modicum timuerunt: [ægre compescitur a Prætore:] sed & pauperes Dominæ, non minus perterritæ, deportandum corpus etiam cum precibus obtulerunt. Porro tam ii quam illæ suis cœpere peccatis quæ acciderant imputare; ac pro dispendio civitatis flebilibus Dei clementiam vocibus implorare. Tunc Potestas,

seditionem non sustinens, concilium quantocius in Palatium sub præconia voce coëgit: & mali totius auctores in partem civitatis alteram separavit; eosque, ne quis eorum ipso die remearet, ad propria, sub omnium suorum discrimine, cum jusjurandi interminatione constrinxit. Quibus ita gestis, Episcopus cum Clero, Potestas cum Magnatibus atque Militibus, & innumerabili populi multitudine, ordinatis ad cellam processionibus pergunt: corpus a fovea subvehunt, humerosque ad supportandum Optimates quique subjiciunt. [& instituta processione,] Sic demum, cum hymnis & laudibus, ac luminarium numerositate copiosissima rutilante, solenniter incedentes, ad S. Mariæ Dei genetricis ecclesiam veniunt: ubi ipsum, expletis ab Episcopo Missarum solenniis, honorifice sub die transitus sui quinto sepeliunt.

[38] [celebratur translatio cum multis miraculis.] Verum divina providentia jam prælibatæ tumultuationis tempestatem præmitti permisit, qui post paululum tranquillitatis serenum abundantius diffundere voluit; ut gratiæ securæ claritas postmodum tanto magis splenderet, quanto turbulentius ipsam tentationis nubilum præcessisset. Probatur etiam in hoc, licet non secundum scientiam, populi zelus ad Sanctum. Quanta videlicet veneratione dignum forent, clarescentibus post miraculis, habituri; pro quo etiam tanto se, ante miracula, commisere discrimini. Nam tempestate sedata, statim ipsa die miraculorum prodigia coruscare cœperunt; ita ut, quacumque infirmitate detenti tumbam ejus contigerent, optatam continuo sanitatem reciperent: Qui vero accedere vel adduci præ turba non poterant, salvi coram omnibus, etiam præ foribus in platea fiebant. Excitatur adhæc inenarrabilis devotio populi, veniensque dignis extollit honoribus merita Viri sancti.

[39] Primi autem cives de Capite-pontis utriusque sexus, omnes universaliter parvi & magni, [Fit undique concursus

ad ecclesiam,] pedibus discalceati, cum tanta reverentia & humilitate coram Sancti se tumulo prostraturi venerunt, ut pœnitundine sua cunctorum ad compassionem corda moverent. Sed & Fratres, maxima pietate permoti, processionaliter eisdem occurrerunt. Post quos Episcopus civitatis, omnis Clerus, sacrique Religiosorum Conventus, copiosa cum Magistris multitudo scholarium, Potestas cum caterva Potentium ac frequentia Militum, aliique diversorum officiorum professores artium, [multique & grandes cerei adferuntur.] singulis processionibus ordinatis, decentissime statutis diebus & horis adveniunt; singulique cereos gestantes in manibus, pedibusque similiter discalceatis, incedunt. Singulas autem turmas, artificiosa cultuum formarumque varietate distincti, tantæ magnitudinis cerei præcedebant; ut singuli, multorum humeris aut quadrigis subvecti, erigi infra tectum ecclesiæ, nisi detruncati non possent; eosque introferre præ multitudine nimia non valentes, extra fores in platea statuerent. Hic dies continuantes cum noctibus, nec frigori cedentes nec æstui, vicissim alii aliis succedebant: sic digna jugiter laudum præconia, dignaque Deo ac Sancto ejus honorum munia persolvebant.

CAPUT V.

S. Antonii Canonizatio, & miraculorum synopsis.

[40] Post tanta igitur Christi magnalia, in famulo suo Antonio declarata, celebris fama se locis circumquaque [positis] diffudit, & diversarum ad hæc civitatum, provinciarum, linguarum, ac regnorum populos convocavit: qui turmatim advenientes, immensas Domino gratias retulerunt; magnificis Sancti merita laudibus extollentes, [Crebrescentibus miraculis,] ipsamque Paduam tantis dicatam honoribus beatissimam prædicantes, Extollitur proinde religionis ecclesiasticæ fides, conteruntur mordaces infidelium dentes, tot ipsius sponsam calumniis patulo rictu ac rabido lacerare conantes. Clamat igitur ad

hæc vox una concorditer omnium, ut Sancti canonizatio vigilantissimo studio procuretur, & ipsa res ad Apostolicæ Sedis audientiam cito nuntietur. Ad hoc itaque negotium, tam honorabiles conditione, quam gravitate pollentes nuntii destinantur: [ex mandato Pontificio] qui ut venientes viæ causam exponunt, gratulanter & benigne Curia Romana recepti sunt. Mirantur audientes ad hanc tantorum subitationem mirabilium improvisam: quid facto opus sit diligenti consilio tractant: tandemque certiore miraculorum inquisitionem, simul & examinationem venerabili Episcopo, Sanctique Benedicti & Fratrum Prædicatorum Prioribus Paduanis commendant.

[41] [formantur processus Paduæ,] Porro reversis cum gaudio nuntiis, Domini Papæ jussio divulgatur. Concurrunt lætabundi sexus utriusque non pauci, qui sancti viri beneficia in semet ipsis experti sunt, testimonium perhibere veritati. Datur igitur attestationibus locus: admittuntur testes, debitis circumstantiarum cautelis adhibitis: & probata legitime miracula rediguntur in scriptis. Duo autem, Sedis Apostolicæ legationis officio tunc in Marchia Tarvisina fungentes Cardinales eo tempore, nutu divino, Paduam venerant: qui rescribendis ad Curiam litteris suas etiam fide dignas, ad confirmationem veritatis, addebant, super iis quæ & ipsi de S. Antonio fide jam facta cognoverant. Ad hæc personas plures, prioribus Religiosis & Clero, cum nobilioribus civitatis atque Comitibus, [& approbantur Romæ:] plurimum venerabiles eligunt, quos ad Curiam Romanam, tantarum patrociniis litterarum instructos, iterato transmittunt. Quibus cum honore receptis, fit novus intra Ecclesiæ Principes super Sancti canonizatione tractatus: a quibus examinatio miraculorum & approbatio Domino Sabinensi Episcopo denuo commendatur: quæ & ab ipso breviter ex insperato, nec non fideliter expeditur.

[42] [absolvendæ causæ intercedens unus,] Tunc demum quidam illorum inconsuetam in talibus accelerationem contra processum negotii causabantur, eo quod ab ipsius Sancti transitu nondum adhuc unius anni temporaolvebantur. Affuit ad hoc nuntiis non modicum desolatis divinæ providentiæ pietatis: quæ mirabilius id, quod differendum omnino non erat, promovit; & uni ex iis qui subitationis impedimentum prætenderant, suum in hoc per hujusmodi visionem beneplacitum indicavit. Vidit namque summum Pontificem cum Cardinalibus, in consecratione cujusdam ecclesiæ, se quoque administrante cum ceteris, occupatum; quoadusque tandem ad collocandas in altari Reliquias est deventum. Quæsitis itaque Reliquiis, nec inventis: funus quoddam recens, ex latere coopertum jacens, apparuit; de quo sibi protinus dari Reliquias Dominus Papa poposcit. [somnia monitus sententiam mutat,] Quibus, has non esse Reliquias, respondentibus; quantocius illos jussit accedere, funusque opertum sine mora detegere. Factumque est ut discooperientibus in tantum Reliquiæ complacerent, ut earum quis primus quid tolleret, etiam mutuo decertarent. Evigilans autem, ipsos Paduanos, mane facto præ foribus astantes, invenit; statimque suis visionem Clericis enarravit; & de Sancti eam Canonizatione congruenter exposuit. Ex hoc igitur in Canonizationis promotione factus est idem ipse præcipuus; & sic demum consentientibus cunctis, dies Canonizationis præfigitur opportunus.

[43] Adstat proinde die statuto Pastor & Pontifex, solennis apparatus gloria decoratus; adstat, [& Sanctum declarat Pontifex.] inquam, cultu simili, Ecclesiarum prælatis, populique multitudine copiosa circumdatus. Stans igitur, lectis in publicum & approbatis miraculis, manus in cælum protendit; & Sanctæ Trinitatis nomine invocato, beatissimum Christi Sacerdotem & Confessorem Antonium Catalogo Sanctorum adscripsit; festumque ejus, die

obitus sui, idibus Junii, solenniter celebrandum instituit. Acta vero sunt hæc Spoleti, sub die Sancto Pentecostes, anno incarnationis Dominicæ millesimo ducentesimo tricesimo secundo; [an. 1232.] Pontificatus autem Domini Gregorii Papæ noni sexto. Quibus ita peractis, cum summa exultatione Paduam reversi sunt Nuntii, celebrantes magnifice prætaxato die solennitatem sanctissimi Patris Antonii. Postremo miracula, solenniter, ut dictum est, approbata, quæ latiori tractatu digesta, cum personarum nominibus, modisque diversis quibus exhibita sunt, inveni; huic etiam opusculo summatim & breviter annotabo. [Miraculorum summa hic proponitur.] In quibus utique decem & novem diversimode contracti reperiuntur erecti; paralytici quinque solidati; totidemque a gibborum infirmitate curati; cæci sex illuminati, trium surdorum aures apertæ, & ejusdem numeri mutorum linguæ solutæ: duo a morbo caduco, totidem a febribus liberati, sed & duo mirefice mortui suscitati. Quædam vero alia, quæ sub hac generalitate summatim perstringere nequeo, singillatim breviter explicabo.

[44] [Mulier in aquas lapsa evadit siccis vestibus:] Quædam mulier, cadens in aquam, S. Antonium invocavit; cunctisque eam extrahentibus undique madefactis, ipsa sola prorsus & vestimentis & corpore sicca remansit. Quædam alia mulier sancti Viri sepulcrum invisere cupiens, dum panichii custodiæ deputata, propter passerum multitudinem, a loco divertere non auderet; [alia fruges a passeribus intactas servat:] ipsum panichium ab earumdem avium importunitate omnino intactum conservari obtinuit, postquam tumultum sancti Viri nonies visitare promisit. Quidam, desperabiliter naufragio laborantes in mari, confessione facta S. Antonio se voverunt; [salvantur a naufragii periculo quidam:] moxque celeriter ad portum salutis, quodam eos lucis radio visibiliter præcedente, perducti sunt.

[45] Soror quædam Ordinis pauperum Dominarum, ignem purgatorium gravissime metuens, [pati cupiens ægrotat & sanatur:] per S. Antonium obtinuit in hac vita purgari: quæ & durissimis passionibus cruciata, rursus ceterarum interventu Sororum per eundem meruit liberari. Quidam puer, matre pro se votum ad Christi famulum faciente, [item puer voto neglecto recidivus.] a periculoso colli tumore sanatus; eadem iterum infirmitate, dum mater votum negligeret, est percussus: votoque postmodum iterato ac reddito, liberatur. Miles quidam, a primæva ætate hæreticus, ad mensam sedens, de miraculis sancti Viri narrantes audivit: qui subsannans, cyathum vitreum, quem manu tenebat, in terram ab alto projecit, [incredulus miraculis Sancti,] dicens; Si vitrum hoc Antonius conservaverit integrum, hunc utique credo Sanctum. Quo, licet ad petram colliso, tamen mirabiliter conservato; mox erroribus abdicatis, fide perfecta cœpit credere Christo. Clericus quidam, miraculorum inquisitionem irridens, [servato quod terræ alliserat vitro, convertitur.] gravissima passione percutitur: qui tandem, ad Beatum Antonium voto facto, sanatus, sanctitatis illius professor, ipsa in se experientia doctus, efficitur.

[46] Multa quoque alia per B. Antonium miraculose gesta sunt, utique supra scriptis non minus vera, quamvis non ita solenniter approbata: quorum adhuc perpauca breviter explicare, [Sancto apparente impeditur destinata Presbyteri cædes,] sed pluriam libet in generali perstringere. Viri quidam Paduani in mortem cujusdam Presbyteri conspiraverunt, & occultas eidem in quodam loco insidias tendunt. Ubi Sanctus Antonius, in effigie alicujus Fratrum, quem illi non norant, apparuit; eisque, superventurum præstolantibus Sacerdotem, ipse a loco penitus non recessit. Quem cum juberent, ut inde transiret; indeque transire nolens, intentionem ipsorum nosse se diceret; suspicati sunt, [brachii sanitas obtenta amittitur a male usuro.] ne quis eos forsitan prodidisset; &

cæperunt interrogare, quis esset. Qui cum se Antonium esse responderet, stupefactos nimium, sic a concepta perversitate retraxit; & in publicum confiteri quod acciderat, gloriam Deo dantes, induxit. Quidam vir, alterum brachiorum inutile prorsus habens, plenam in illo per S. Antonium meruit sanitatem: Qui beneficium Domini mox ad pravum pervertere nitens usum, se illius non immerito fecit indignum. Nam cum, occasione sanitatis accepta, inimicis adhuc ultionem se diceret redditurum; robore statim perditto, ad pristinum infirmitatis conversus est statum.

[47] Hæc ad præsens de S. Antonii miraculis explicando, breviter tetigisse sufficiat: [Epilogus.] cujus præter hæc meritis gloriosis, a die transitus sui usque nunc, diversimode tribulatorum necessitates cessant, pericula pereunt; lepra, dæmones, error, mors, calamitas fugiunt; sani ægrotantes quique resurgunt; vincula captivatis, naufragantibus maria cedunt; vires & membra perdita repetentes utriusque sexus omnis ætatis accipiunt: quæ omnia si explicatius quis requirat, qui vere hæc sentiunt referant, quibus & testimonium veritatis Paduani perhibeant.